QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. DECEMBRIS, MAGISTRO NICOLAO IABOT, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An cum ſemine morbi?

FINXIT quidem quouis Prometheo ſolertior natura ex eodem luto hominum corpora; ſed non eodem modo: aliis matrem ſe, aliis nouercam exhibet. communem omnium materiam ex quatuor elementis petit, totidémque humoribus, ſed præcipuè ex ſemine & ſanguine menſtruo. Primum calidum ignis: Primum humidum aër: Primum frigidum aqua: Primum ſiccum terra, in mixtionem ita conflantur, vt quodammodo inſint, & non inſint. Ambæ in ſingulis qualitates ſummum intenſionis gradum non obtinent: In mixto tali diſcordiâ concentum efficiunt, vt varium indè exurgat variarum partium temperamentum, quod ad pondus dari nihil repugnat. Frigidi metropolis cerebrum eſt, cor caloris. Hepar, pulmo, teſtes temperiem habent calidam & humidam, ſed aliter atque aliter. Ex partium temperamento fit vnum totius, quod eſt qualitas diuerſa à qualitatibus elementorum. Benè cum illis agitur, quibus à prima conformatione contigit eſſe tempetatis.

MEDIVM inter elementa & corporis partes locum humores tenent, qui ex chylo, quo ventriculus non alitur, in hepate facultatis altricis domicilio, ſpiritus naturalis fonte, vi parenchymatis propriâ geniti, venis ex hac radice pullulantibus ſurſùm deorſùmque delati membra irrigant omnia. Eſt ſua felli veſicula, eſt ſucco melancholico lien peculiare conceptaculum; ſanguis tamen, qui venis continetur, non ideò ſyncerus eſt, aut ſoli pituitæ permixtus, ſed & aliis duobus indiſtinctè confunditur; corporis eſſe partes nemo dixerit; at corpus certè nutriunt, conſtituuntque ſanum ſymmetria & eucraſia, ægrum plethora & cacochymia: Quin & animi mores formant effinguntque. Sanguis temperatus verno tempore abundans hilares, benignos, ingenioſos; pituita frigida humida hyeme copioſior ſegnes & ſomnolentos: bilis calida ſicca æſtate efferueſcens iracundos & prçcipites: melancholia frigida ſicca Autumni ſoboles, prudentes facit & propoſiti tenaces. Natura per ſe edocta artifex nihil niſi perfectum molitur: interdum tamen in ipſo vitæ limine impingit, ex quo errore fit ὅλος ἀνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος.

VT ex quouis ligno non fit Mercurius, ſic neque ſanum corpus ex quouis ſemine. Illud, quodcúmque tandem ſit, ab vtróque parente effectiuè contribuitur, & in genitale aruum affunditur, non deciduum ab omnibus partibus, quamuis impreſſum gerat ſingularum characterem, vnde nati parentibus eduntur ſimiles: ſed à teſtibus, qui iure in principum partium album referuntur. Hîc non alibi, roris prolifici ex laudabili ſanguine, (vnde nimio coitu, aut gonorrhœâ macies,) officina eſt & promptuarium; eò, vt fœcundetur, partes regiæ hepar, cor, cerebrum, venis, arteriis, neruis, naturalem, vitalem, animalem ſpiritum mittunt, ſingulos à ſe inuicem ſpecie diſtinctos, ſed, eò poſtquam coaluerunt vnicum efficiunt, quem genitorem placet appellare. Eiuſmodi ſpiritu turgidum ſemen non viuit quidem, ſed vim formatricem habet corporis organici opificem, cuius beneficio parentes liberis quaſi curſores vitaj lampada tradunt. Verum vt à ſanis ſanum, ſic à morboſis morbidum prodit.

VTERVS quoque ad fœtus formationem agit partes vterus naturæ campus feraciſſimus, qui mandatum ſibi ſemen continet, conſeruat, fouet, vim eius ſopitam promouet, deliteſcentem ſuſcitat. Frigidior, denſior, humidior, aut ſiccior & æſtuoſus non concipit: quæ vero mulieres ex vtraque oppoſitione moderatam nactę ſunt locorum temperationem, eæ fœcunditate valent; non item præpingues, quibus os vteri omento concluditur; grauidis ita conniuet, vt fieri poſſit ſuperfœtatio. Neque verò ad mirum generationis opus ſemina hûc confluere ſufficit, ſed & menſtruum ſanguinem oportet accedere, ex quibus duobus principiis homo diuinum animal procreatur. Eiuſmodi ſanguis quantitate ſolâ noxius in ſequiore ſexu viris frigidiore gignitur: ſi immodicè fluit, hinc morbi eueniunt: ſi ſubſiſtit & ſupprimitur, hinc etiam morbi ab vtero. In hoc ergaſtulo vitæ noſtræ ſtamina Parcæ ducere incipiunt, niuea & fœlicia, ſi ſemina, ſi menſtruum, ſi vterus ſint qualia eſſe oportet: ſin contrà, non naſci bonum eſſet, aut natum citò morte perire.

IMMENSA morborum phalange obſidemur, domi foriſque ſæuientes fùriæ bellum indicunt, neque ſolum à rebus externis impendent morborum cauſæ, ſed & antequam lucem aſpexerimus non magis patrimonij hæredes, quàm morborum ſumus. Variolæ & morbilli ex ſanguinis materni purgamentis erumpunt; ſi alteruter parens lue indicâ inficiatur, ſæpe delicta parentum immeriti luunt liberi, & eadem labe inquinantur. Lithiaſis, Epilepſia, morbi pueris familiares, arthritis Bacchi & Veneris item proles, tabes, cui Autumnus grauis, nephritis, in ſenibus inſanabilis; Denique reliqua id genus hereditariorum morborum cohors ſimul cum moribus in natos tranſeunt.



Ergo cum ſemine morbi.

Aſſerebat CLAVDIVS DE POIS, Pariſinus, anno R. S. M. DC. XIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gabriel Biart.
M. Ioannes Deſgorris.
M. Renatus Chartier, Med. Reg.
M. Franciſcus Placet.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbault.
M. Iacobus Couſinot.
M. Petrus Seguin, Med. & Prof. Reg.
M. Ioannes de Renou.